

Disputatio medica de causis, cur quidam morbi prorsus non, aliqui difficulter, nonnulli cito et facile, alii tarde admodum longoque tempore curentur ... / proposita a Melchiore Sebizio ... respondente D. Eckolt.

Contributors

Eckolt, David, active 1662-1663.
Sebisch, Melchior, 1578-1674.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Eberhardi Welperi, 1662.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xmcsbxkd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
DE

CAUSIS,

Cur quidam morbi prorsus non, aliqui difficul-
ter, nonnulli citò & facilè, alij tardè
admodum longoque tempore
curentur?

*In inçlyta Argentoratensium Universitate
solenniter proposita*

à

MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCT. ET PROFESSORE,


Comite Palatino Cæsareo, Reipubl. Argent.
Archiatro, & Capituli Thomani
Præposito:

RESPONDENTE

DAVIDE Eckolt/

Lindaviensi.

Ad Diem 13- Mens. Aug.



ARGENTORATI

Typis EBERHARDI WELPERI.

ANNO M. DC. LXII.



*ILLUSTRISSIMO AC GENE-
ROSISSIMO DOMINO,*

DOMINO

AVGVSTO,

COMITI DE Hardeck / IN Glaz ET Mas-
chelant / &c. PINCERNAE HAEREDI-
TARIO AUSTRIAE, ET DAPIFERO
HAEREDITARIO
STYRIAE, &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Has Studij sui Medici primitias,
in debitæ submissionis & gratitudi-
nis signum, & omnium beneficio-
rum memoriam, humilimè conse-
crare aedicare voluit, & debuit

DAVID Eckolt / Lindav.
Acronianus.

Thesis I.

Priusquam rem ipsam aggrediamur, opera pretium videtur, ut morborum distinctio ratione ortus & curationis præmittatur. Sumimus autem morbi vocabulum generalius, ita ut sub illo etiam symptomata comprehendantur.

II. Morbi ratione ortus duplices sunt. Alij enim homini adhuc in utero materno existenti accidunt: alij tum demum illi obtingunt, cum jam in lucem est editus.

III. Qui illi in utero materno degenti eveniunt, iterum sunt bipartiti: hæreditarij scil. & non hæreditarij.

IV. Hæreditarij vocantur, quorum causa in liberos à parentibus propagantur: id quod contingit, quando affectus, quibus parentes laborarunt, in liberos derivantur.

Hæreditarij morbi qui sint.

V. Derivantur autem in illos, vel seminis, vel sanguinis materni, vel utriusque principij vitio: quorum illud generationis, hoc nutritionis & accretionis potissimum est materia.

VI. Nam quemadmodum, inquit Janus Damasce-nus aphor. 18. animi vitia & corporis lineamenta, ita & morbos quosdam à parentibus quasi jure hæditario acquirimus. Et sicut qui ex parentibus juvenibus nati sunt, membra principalia naturam habent robustiora ac saniora, ita, qui ex decrepitis & adhuc ferè pueris gignuntur, ait idem aphor. 128. eadem sortiuntur infirmiora ac valedudinaria: & quidem, uti modo dictum, seminis mater-nique sanguinis interventu.

VII. *Seminis quidem, si vel in quantitate, vel in qualitate peccet. In quantitate, cum aut modum in illa excedit, & partes monstruosè crassas, longas, latasve producit: aut adeò paucum est, ut illas proferat justo minores, paucioresve, quam necessitas requirat. Quod ipsum etiam suo modo de sanguine materno dici affirmarique potest.*

VIII. *In qualitate verò quando utrumq; principium malè est dispositum: frigidius scil. calidius, humidius, languidius, aut alio aliquo vitio laborat, & corruptionis aliquid in se habet.*

IX. *Habent autem hereditarij isti affectus rursus quasdam differentias: nimirum ratione subjecti, cui insunt, & ratione temporis, quando se manifestant.*

X. *Subjecti, sive corporis ratione, vel sunt universales, qui totum corpus occupant: quales sunt elephantiasis, sive lepra Arabum, & lues Venerea, cum infantes leprosis, aut venerea lue infectis sunt parentibus nati. Vel particulares, quando calculosi calculosos, phthisici phthisicos, podagrisci podagricos &c. generant. Hi namque affectus renes, vesicam, pulmones, aut pedes solum obsident principaliter.*

XI. *Ratione temporis vel in utero statim liberis imprimuntur: cujusmodi sunt inprimis organici in figura, magnitudine, numero, & situ: vel dispositiones duntaxat, & apparatus quidam ad eorum productionem liberis conferuntur: quibus illi postea citius tardiusve affliguntur. Eò autem citius illi se produnt, quò causa eorum per improbam vivendi rationem in sex rebus non naturalibus auctior facta fuerit. Tardius autem, contrariam ob causam.*

XII. *Perpetuum tamen non est, ut dicti morbi in liberos propagentur. Observatum enim, extitisse quosdam*

dam à parentum aegritudinibus immunes: nimirum quando causas illas in actum deducentes maturè profligassent, rectaque victus ratione eas precavissent. Sic enim accidere solet, ut liberi quidam vel nunquam, vel saltem rarius, mitiusve paternis, aut maternis divexentur aegritudinibus.

XIII. Præter istos hæreditarios morbos, qui in utero fiunt, etiam quidam alij reperiuntur, qui & ipsi in utero quidem proveniunt, hæreditarij autem non sunt, quoniam parentes illis non laborarunt.

Qui morbi in utero quidem fiunt, sed hæreditarij non fiunt,

XIV. Hujus generis sunt, qui citra vitia principiorum generationis & nutritionis accidunt: & quidem tum, cum mater graviditatis tempore lapsa est ab alto, aut in planitie graviter cecidit, aut iecta est & percussa violenter, aut ad iram & excandescentiam vehementer commota, aut subito ob incendium longè latèque diffusum atque extensum, brutum fulmen, horrisonum tonitru, crebras cæli coruscationes, triste nuncium, occurstationem hostium & beluarum, aut infortunia alia subito consternata, aut etiam aliena quæ sunt & noxia fortiter sibi fuit imaginata. Ab hisce enim causis fætus in utero ob matrum afflictiones non raro morbofi redduntur.

XV. Atque hi sunt morbi, qui in utero ortum ducunt. Verùm præter illos extant infiniti alij, qui adventitij & ascititij vocantur, & homini jam in lucem edito, à causis externis, ipsiq; aut necessario, aut non necessario nos afficientibus imprimuntur: vel ab internis, mediatis scilicet & remotis, quæ πρῶτον γενεῶν, antecedentes vocantur, & proximis, sive immediatis, quæ aut συνεπιγενεῶν, continentales sunt, aut generis nomine proxima dicuntur, quoniam proprio nomine carent, originem trahunt.

Adventitij morbi qui dicantur,

XVI. Sunt autem utriusque generis ratione cura-

Morborū ratione cura-

rationis 4.
Classes,

tionis quadruplices: ideoque eos ad quatuor Classes revocabimus.

XVII. In prima reponuntur, qui sunt ἀθεράπευτοι καὶ ἀνίατοι, nullaque humana ope, aut remedio curari possunt.

XVIII. In secunda, qui sunt δυσίατοι, agrè admodum difficulterque sanantur.

XIX. In tertia, qui παδίως καὶ ταχέως, facile & citò tolluntur, εὐθεράπευτοι nominari possunt.

XX. In quarta, qui curabiles quidem sunt, sed βραδέως, tardè admodum abiguntur, & longum temporis spatium postulant, ut extirpentur.

Classis 1.

XXI. Primæ classis sunt nativa cecitas, surditas, loquela privatio, fatuitas, lepra à parentibus leprosis in utero contracta, monstrosa partium conformatio, defectus, & numerus imperfectus, vitiosus & insolitus situs, &c.

XXII. Ejusdem primæ Classis sunt quoque multi morbi, qui genito jam & in lucem emisso homini ob internas, externasve causas evenerunt, & suprà adventitij fuerunt appellati. Tales sunt apoplexia fortis, quam solvere inquit Hippocrates aphor. 42. sect. 2. ἐστὶ ἀδύνατον, impossibile: epilepsia, quæ si annum vigesimum quintum excesserit, ferè ad mortem usque comitatur, teste eodem aphor. 7. sect. 5. vulnera vesicæ, cerebri, cordis, septi transversi, ventriculi, tenuis intestini, hepatis, quæ ab Hippocr. aphor. 18. sect. 6. διαχοραὶ nuncupantur, & judicantur lethalia. Hydrops in senibus, & alijs, in quo viscera jam totaliter sunt corrupta & labefactata: phthisis consummata & inveterata, pulmonibus prorsus vitiatis ac putrefactis: nodosa podagra, quam juxta Poëtam Medicina solvere nescit: hæctica παρασπυώδης, absumpto humido primigenio: membrorum defectus, aut decurtatio,

tatio, certis armorum generibus facta, aut à Cheirurgo in sphaelo instituta: glaucomata senum: morbi post assumptum venenum corrosiva facultate preditum exsiccitati: cujus generis sunt Arsenicum, Auripigmentum, Sublimatum & Præcipitatum, Misys, Sory, Calx viva, Cantharides &c.

XXIII. Secundæ classis sunt mania, sive furor Classis 2.
 & insania, melancholia, phrenitis, cephalæa antiqua, paralytis senum, & auditus hebetudo, hydrocephalus infantum, raucedo, & gravedo, sive coryza in σφόδρα πρεσβύτησι, valdè senibus, quæ juxta Hippocratem aph. 40. sect. 2. πέπανσι, coctionem, non admittunt: pleuritis, peripneumonia, empyema, angina, diabetes, pestifera & maligna febris, quæ petechialis, & in qua macula nigra, aut livida visuntur, cancer exulceratus, qui plerumque, & penè in omnibus est ἀθεράπευτος, dysenteria, quæ ab atra bile est orta, aut in qua veluti carunculae dejiciuntur. Lethalis enim ab Hippocrate utraque aphor. 24. & 26. sect. 4. proclamatur: quoniam ut plurimum talis esse solet. Adhæc ulcera κακοήθεια, quæ cum dyscrasia suorū subjectorū, & noxiorū humorū affluxione sunt conjuncta, putrida etiam, & verminosa: scirrhi viscerum, passio colica & iliaca, cholera morbus, atonia hepatis, quam fluxus sequitur hepaticus: scorbutus, qui altas radices egit, strangulatus ab utero, internorum viscerum inflammationes, & erysipelata, polypus & ozæna narium, bronchocele, scrofulæ colli, quæ auctæ, numerosa, & antiquæ &c.

XXIV. Tertiæ classis sunt febres ephemeræ, Classis 3.
 aphthæ oris, vertigo, quæ facta per consensum partium inferiorum, incubus, cephalalgia à causa aliqua externa, aut per consensum cum subjectis partibus, ventriculo

cum primis, intestinis, jecore, utero &c. in vecta, icterus, raucedo, gravedo, & tussis hyemalis, singultus à repletionem, vel duritie & siccitate ciborum excitatus, cibi fastidium, alvi constipatio, ani prolapsus, hernia aquosa & flatulenta, delapsus columellæ, scabies vulgaris, ulcuscula, vulnuscula, tubercula, & pustulæ leviores, &c.

Classis 4.

XXV. Quartæ classis censentur febris quartana, hydrops, in quo viscera nondum prorsus sunt corrupta, paresis, quæ colicam secuta biliosam, scirrhî viscerum, cachexia, fluxus mulierum albus, febris virginum alba, quæ morbus virgineus dicitur, &c.

Causæ.

XXVI. Hisce morborum differentiis præmissis, consequens est, ut causæ proferantur in apertum, cur morbi quidam nullo modo curari queant: alij curentur citò & facilè: nonnulli agrè & difficulter: aliqui non nisi longo tempore?

XXVII. Ut autem ordine nostra progrediatur disputatio, placet primo loco illorum morborum exponere causas, qui facilè citòque curantur: deinde qui vel nullo modo, vel agrè & difficulter, vel tardè-admodum curari queunt.

Causæ morborum facilè curabilium.

XXVIII. Citò & facilè curantur morbi levioris ponderis atque momenti: quales sunt, qui θ. 24. recensiti: quorum causæ validæ non sunt, symptomata pauca, vel tolerabilia, & partes aut non principales, aut saltem non vehementer affectæ: præsertim si & ægri, & Medici, & Medicorum ministri, & adstantes, ægrisque inservientes, τὰ δεόντα, hoc est, suum faciant officium, sintque, ut Hippocrates aph. I. sect. I. loquitur, τὰ ἔξωθεν ritè comparata.

XXIX. Intelligit autem per τὰ ἔξωθεν, ut Galenus in com-

in commentario interpretatur, habitationem idoneam, qua sit à turba hominum remota: & aliena ab ys, qua nocturnam quietem abrumpunt, qua agros contristant, ad iram provocant, aliumve aliquem affectum illis infligunt.

XXX. Nos quedam addimus alia, qua laborantibus incommodare possunt, aëris scilicet intemperiem, fumum, foetorem, pluviam, nivem, aquas in conclave, quo in agri degunt, delabentes, stragula, cervicalia, culcitrae duras & asperas, egestatem & pauperiem, ob quam praesidia diätetica, pharmaceutica, & cheirurgica comparari nequeunt, canum latratus, hominum vociferationes, rixas & concertationes, muscarum, culicum, & pulicum ictus & morsus, glires & mures hinc inde in cubiculo cursitantes, &c. Haec enim, & infinita alia efficiunt, quò minus cita, prompta, & expedita possit esse curatio. Hisce verò contraria eandem juvant & promovent.

Causæ morborum incurabiliū.

XXXI. Incurabilium morborum causæ sunt trans-naturales & naturales.

XXXII. Transnaturalis causa est DEVS OPT. MAX. qui non vult, ut omnium hominum aegritudines sanentur. In manu quippe ejus sortes sunt nostræ, & cui libet nostrum constitutus est vitæ terminus, quem preterire non potest. Incurabiles quidem morbos in multis Filius DEI curavit, non usitatis autem remedijs, sed divina virtute, & miraculosè, ut sacra testatur historia: quò se verum DEVM esse probaret, & divini verbi veritatem miraculis editis confirmaret.

XXXIII. Huc pertinent & illi affectus, qui DEO permittente à Diabolo, ejusque instrumentis infliguntur. Nam & illi Φυσικῶς Βοηθήμασι naturalibus remedijs tolli nequeunt, quemadmodum experientia satis probat.

Causæ in-
curabilium
morborum
naturales
quæ.

XXXIV. Ideoque causas hasce jam missas facimus, & ad naturales nos conferimus: quarum numerosum est agmen. Nam quod morbi multi curam nullo modo admittant, in causa sunt I. Morbi ipsi, qui agrum affligunt. II. Aegrotantes, qui patiuntur. III. Medici, qui medicamenta prescribunt. IV. Pharmacopœi, eorumque servi & discipuli, qui circa medicamentorum preparationem, compositionem, collectionem, mundificationem, & asservationem sunt occupati: aut medicamentorum materiam à materialistis, uti vocantur, acceperunt. V. Servi, ancillæ, & coqui, qui ministrant & famulantur. VI. Chirurghi, scarificatores, & balneatores, qui Medicorum jussa exequi tenentur, venam secando, cucurbitulas cum, & sine scarificatione affigendo, lavando, hirudines applicando, topica medicamina in vulneribus, ulceribus, fracturis & luxationibus admovendo.

XXXV. Quò autem hæc causa sunt validiores, & curationi minus aptæ & convenientes, eò quoque morbi sunt incurabiliore: quò leviores & infirmiores, eò etiam tractabiliore sunt: difficulter tamen, aut tardè sanantur. Nos brevitatis studio omnes conjungemus.

Causæ ex
parte mor-
borum.

XXXVI. Incurabiles qui sunt, tales existunt ob multas causas. I. Ob sui vehementiam & magnitudinem. Magni autem sunt primùm ob partis affectæ nobilitatem, quam occupant: cerebrum nimirum, cor & hepar: aut ob summam necessitatem, adeò ut sine illa vivere non liceat: cujus generis sunt ventriculus, pulmo, diaphragma &c. Deinde ob morbi malignitatem: cujusmodi sunt febres pestilenciales, petechiales, ulcera cancrosa &c. Tertio, ob symptomatum crudelitatem: ut rabies canina, spasmodorum species, & illa maxime, quæ tetanus & appellatur. Hunc enim Hippocrates aph. 6. sect. 5. hominem intra:

quatriduum interimere scribit. Adhuc phrenitis, mania, apoplexia, suffocatio ab utero, colica & iliaca passio, miserere mei dicta, angina &c. Hi enim morbi, vel prorsus immediacabiles sunt, vel medicabiles quidem, sed difficulter, aut tardè admodum curantur.

XXXVII. II. Ob situm. Interni enim plerique acrius curantur, quàm externi. Ad hos enim medicamenta integris viribus perveniunt. Ad illos verò, nisi in ventriculo, aut intestinis hareant, non nisi fracta & debilitata pertingunt, quoniam in vijs intermedijs aliquid de illorum viribus decedit. Facilius etiam externi cognoscuntur, quàm interni, præsertim cum uni & simplices non sunt, sed complicati. At benè curat, qui benè dignoscit, inquit Trallianus. Ignoti enim nulla est curatio morbi, ait Avicenna: scil. rationalis & dogmatica: quoniam indicationes ob ignorantiam indicantium nos latent, quæ tamen dogmaticorum Medicorum fundamenta sunt. Hinc Hippocrates libro de arte scriptum reliquit, & quæ dicta jam sunt suo calculo confirmavit, inquiens, si Medicus sufficit ad cognoscendum, sufficiet etiam ad curandum, nihil scil. omittendo eorum, quæ ad recuperandam sanitatem spectant, & necessaria sunt, tametsi non semper sanet.

XXXVIII. III. Ob novitatem, cujus ratione Medicis est incognitus. Unde rursus propter indicantis inscitiam indicationes etiam ignorantur. Potest hæc causa probari exemplo Sudoris Anglici, qui cum fuisset in principio ignotus, & specificum illius remedium, sudoris provocatio, Medicos latuisset, plerosque omnes è medio sustulit.

XXXIX. IV. Ob originem, quando in utero, vitio principiorum generationis, & nutritionis est genitus.

Quae enim à prima nativitate nobis sunt insita, vix, aut nunquam mutari possunt.

XL. V. Ob subjectorum varietatem, nempe ratione aetatis, virium, sexus, temperamenti, & corporis habitus. Aetas enim infantilis & puerilis facile succumbit, propter naturae teneritatem & mollitiem. Juvenilis & virilis morbificis causis fortiter reluctatur, ob virium robur. Senilis, quoniam debilis & infirma, graviores sustinere morbos minimè valet. Sexus virilis, quia muliebri calidior est, siccior, robustiorque, idèò facilius etiam morborum curam admittit, quàm muliebris, praesertim magnorum, qui sexum istum tempore graviditatis, partus, puerperij, & cum post partum vel secundina retinetur, vel purgationes lochiales supprimuntur, affligunt. Temperamentum calidum & siccum, habitusque corporis illi similis, curatur citius & facilius, quàm huic contrarius.

XLI. VI. Ob anni tempus & regionem. Morbi namque aestivi, & in regione aestuosa, biliosi ferè sunt, ac ob id acuti & peracuti, hancque ob causam magis lethales & incurabiles: authore Jano Damasceno aphor. 27. Aestivo etiam tempore hominis corpus debilius est, quàm verno, vel hyemali. Vitiosis insuper humoribus ob frequentem fructuum fugacium esum, multumque potum refertum. Quo nomine etiam periculosis agritudinibus obnoxium, qui difficulter profligantur. Quam autem vim atque potentiam ad producendos augendosque morbos anni tempora, eorumque naturas habeant, Hippocrates sectione 3. aphorismorum prolixè docet.

XLII. Praeter hanc causam, quae à morbo desumitur, etiam ipsimet aegrotantes faciunt, ut morbi eorum
vel

vel prorsus non, vel difficulter, vel non nisi longo tempore, vel etiam non integrè & eradicativè curentur.

XLIII. *Causa prima est inobedientia. Oportet enim, inquit Hippocrates lib. i. epidem. sect. 2. agrum unà cum Medico morbo adversari. Galen. comm. 2. in lib. i. epidem. §. 51. locum istum eleganter declarat. Tria ait esse, per quæ curatio peragitur: morbum, Medicum, & agrum. Medicum & morbum inter sese pugnare ac dimicare. Medicum dare operam, ut morbus tollatur. Morbum contra facere, ne sit inferior & vincatur. Tertium præter Medicum & morbum esse agrum: qui si Medico audiens sit, & imperata faciat, Medico in certamine sit socius & adiutor, morbo verò hostis. At si ager à Medico desciverit, & quæ morbus dicitur, fuerit executus, Medico duobus nominibus injuriam facit: uno quidem, quòd Medicum reliquerit in pugna solum; altero, quòd duos excitarit hostes, qui erat antea unus. Necessè enim est, ut duo plus efficiant, quàm unus. Apertè autem, subdit idem Galenus, ager morbi exequitur imperata, Medico deserto, quando, verbi gratia, Medicus agro interdicit frigida aqua potum, is autem ob febris ardorem facit contrarium, & frigidam bibit. Item, si vel lavet, vel vinum bibat, aut aliud aliquid agat, à quo tamen abstinere illum Medicus jusserat. Tunc sanè morbum augebit, faciendo ea, quæ sibi placent, & Medicum prodet, agendo, quæ is vetat.*

Causæ ex parte ægrorum.

XLIV. II. *Intemperantia, in cibo maximè & potu. Nam quòd Medicus edificat, ager demolitur & destruit. Ideoque Galenus libr. de cur. rat per S. M. c. 7. monet, frustra ijs præscribi remedia, qui rectam victus rationem observare nolunt. Et Plato lib. 4. de Republ. scribit, nullum medicamenti genus proficuum esse, nisi*

eger desinat, & ebrietati, & gula, & Veneri, & inertie se dare. Hocque de illis profert, qui licet agrotent, nolunt tamen propter intemperantiam se extricare, & à vitiosa vivendi ratione abstinere.

XLV. III. Diffidentia, quando in Medico nullam firmam locatamque fiduciam habet. Tunc enim illi morem facile non gerit. Interim morbus vires acquirit eundo. Contrà, si benè speret de convalescentia, Natura ejus fit alacrior, erigitur, hostique suo, morbo, se opponit.

XLVI. IV. Cunctatio, tarda que Medici opis atq; auxiliij imploratio. Procrastinatio enim & dilatio, inquit Hippocrates in epist. quadam ad Cratevam, ab omni quidem arte aliena est, maximè autem à Medica: quoniam agrum in vita discrimen adducit, præsertim in morbis lethalibus. Indies enim magis magisque incrementum capiunt.

Satyr. 3. Helleborum frustra, inquit Persius, cum jam cutis ægra tumebit, poscentem videas: venienti occurrite morbo.

1. 5. de re-med. amor Principiis obsta, ait Ovidius, serò medicina paratur, Cum mala per longas invaluere moras.

Vidi ego, canit idem, quod fuerat primò sanabile vulnus, dilatatum longæ damna tulisse moræ.

aph. 10. f. 4. Hippocrates etiam malum esse scribit, *χρονίζεν*, cunctari in morbis, præsertim in valde acutis.

Obstandum enim in principio, ne fortè scintilla levis in flammam transeat destructivam.

XLVII. V. Intempestivus & rusticus pudor, cum aeger partem affectam, aut morbum illius, Medico revelare recusat. Sic enim is quid judicandum, aut quid faciendum sit, ignorat; interim morbus crescit, vires decrescunt, fitque, ut aeger convalescere nequeat. Propterea

Janus Damascenus aphor. 53. hortatur agrotantem, ut à Medico interrogatus cum judicio & prudenter respondeat. Non tamen credendum temerè, quicquid in buccam venerit effutientibus, ait idem ibidem.

XLVIII. VI. Impatientia & morositas agrotantis, qua illum impellit, ut Medicum accersat novum, priore rejecto: aut prioris quidem opera adhuc utatur, sed alium etiam, priore inscio, consulat: vel in consilium adhibeat plures: quorum nihil probandum. Prudenter namque Janus Damascenus aphor. 88. agrum hortatur, ut Medicum eligat fidelem ac peritum, ejusque opera diu utatur. Talem enim minus errare posse, quam novum. Et aph. sequenti 89. aperte scribit, agrum, qui plurimos consulit Medicos, pterunque in singulorum errorem cadere. Unde Adrianus Imperator, cum in agone ferme esset, exclamasse fertur, turbam Medicorum Imperatorem perdidisse. Idem Damascenus aph. 103. vult, ut nulli Medico, quantumvis literato, facile credatur, quam aetatem habenti atque experto.

XLIX. VII. Temeritas, Stoliditas, judicii que imbecillitas, quando ager incredulos & infideles Iudaeos, vanos & linguaces aegyptios ac circumforaneos, crudelès carnifices, deliras vetulas & mulierculas, impios veneficos, abominabiles stryges & volaticas ad curationem accersit: quia neque plenariè, neque diminutè, neque lenitivè curare ut plurimum solent: utpote homines fundamentorum Medicae artis ignari. Superest ergo, ut tractent agros noxiè, tandemque cum perspiciant, nihil se efficere posse, agros deserunt, & fuga sibi consulunt.

L. VIII. Neglectus remediorum, etiam magno cum judicio sibi à Medico perito & erudito praescriptorum: quod accidit, quando à remedys, praesertim cathar-

zicis, & à vena sectione agri abhorrent: aut assumpta pharmaca per vomitum statim rejiciunt. Estq; hac causa impedita curationis non in puerulis solum, sed etiam in adultis valdè frequens.

LI. IX. Desperatio de sanitatis restitutione. Spes enim erigit, desperatio destruit; præsertim apud eos, qui mortem vehementer extimescunt: idque propterea, quoniam quidam vita hujus delicis ac voluptatibus delectantur, opibus abundant, & in magnis versantur honoribus & dignitatibus. Aut quando conjuges pacatum tranquillumque matrimonium agrè deserunt, & inviti admodum à dulcissimis lecti pignoribus discedunt. Hac autem future mortis imaginatione morbum sibi graviolem reddunt, vigiles & insomnes noctes traducunt, ciborum amittunt appetitum, virium patiuntur jacturam, & tandem magna cum animi perturbatione decedunt.

LII. X. Passiones animi graves: utpote ira, timor, mæror, terror subitaque consternatio. Est enim Platonis dictum, quòd cuncta ferè mala corpori accidere solent ab animi pathematibus. Per illa siquidem contingunt repentinæ sanguinis & spirituum, vel ad interiora, vel ad exteriora, commotiones. Historia quoque, quas Zuingerus Volum. 2. theatri recenset, testatum fecerunt, etiam sanos quosdam præ mærore, pudore, timore, & gaudio extinctos esse. Canos quoque ob metum futuri supplicij una nocte factos. Cujus rei memorabile exemplum Scaliger exerc. 312. narrat. Plura etiam Schenckius libr. I. observat. 1. recenset.

LIII. XI. Casus inopinati, & infortunia insperata, ut tristia nuncia de amissione bonorum, obitu Parentum, liberorum, sanguine junctorum, magnorum Patronorum & Benefactorum, fidelium & sincerorum Amicorum; quæ animum benè valentium, multòque magis decumben-

decumbentium ita percellunt, ut oleum & operam in curando perdere, & litus arare soleant, etiam optimi & experientissimi medendi artis proceres. Huc pertinent quoque nocturna incendia, horribilia tonitrua, crebra coruscationes, impetuosus venti, terrifica fulmina, magna & inaudita fluminum inundationes, insoliti canum latratus, ingentes vociferationes, rixae, digladiationes & concertationes hominum sanguinolentae, mille alia, quae aegrotis somnum adimunt, qui tamen malorum esse domitor consuevit, melior humanae vitae pars, & collapsarum virium instaurator egregius. Quantoperè enim haec infortunia, & hi casus inopinati decumbentes ledant, notius est, quam ut probari debeat. Licet enim meliusculè jam habuerint, ob hasce tamen saevientis fortunae procellas recidivare, & pejus habere solent, quam antea. Nunquam enim corpori bene esse potest, si animo male sit.

LIV. Porro, quemadmodum aegrotantes dictas ob causas efficiunt, quò minus morbi ipsorum tolli, vel saltem minui, aut mitigari ac leniri queant, sic etiam interdum in Medicis quibusdam multa sunt, quae curam morborum impedire possunt.

Causae ex parte Medicorum,

LV. Non est quidem in Medico semper relevetur ut aeger, quoniam interdum medica plus valet arte malum. Medici enim fidelis & boni nomen retinet, quando μηδέν τῶν ἐνδεχομένων παραλείπει, nihil eorum, quae fieri debent, & quae artis praescripta requirunt, negligit: praesertim cum constet, neque belli Duces, neque alterius alicujus professionis homines praefixum sibi finem & scopum semper attingere.

LVI. Primum autem Medici vitium est inscitia & imperitia. Empiricè enim curat, & andabatarum more contra morbos pugnat Medicarum rerum ignarus:

quoniam curationis suae nulla fundamenta habet. vid. §. 37. Propterea Janus Damascenus non immeritò aphor. 48. scribit, Medicos literarum ignaros, minimèque peritos, ut plurimum homicidas esse: hancque ob causam agrotos aphor. 88. monet, ut Medicum eligant, non fidelem modò, sed etiam expertum. Talem enim minùs errare posse. Et aphorif. 103. ingenuè fatetur, nulli credendum esse, quantumvis literato Medico, nisi atatem habenti atque perito. τὸ γὰρ ἐστὶν, usus & consuetudo agendi, inquit Hippocrates lib. de flatibus, κάλλιστον ἐστὶν διδασκαλείον, pulcherrima schola. Si quis enim in illa probè causas morborum cognitas sibi reddidit, quæ corpori salutaria sunt, absque dubio adhibebit, morborumque explorata natura, contraria usurpabit.

LVII. Secundum, audacia, & inconsulta in agendo celeritas. Hæc enim, inquit veterum quidam, in exitium ducit: prudens verò cunctatio ad conservandū apta est atque idonea. Sat citò curat, qui sat benè. Quare lentè festinandum. Audacia namq; facit, ut Medicus vel periculosa præscribat pharmaca, vel modum in dosi excedat, vel in alijs aberret. Festinatio etiam & intempestiva celeritas in causa est, ut quando præscripta remedia nihil proficiunt, præproperè & præcociter medicamenta mutet, cùm tamen Hippocrates aphor. 52. consulat, quòd mutationi medicamentorum temerè non sit studendum: cùm scil. illa κατὰ λόγον, secundum rectam rationem sunt ordinata, & morbus, qui esse ab initio putabatur, adhuc durat, nec aliud intervenit symptoma, quod Medicum ab instituto recedere cogat.

LVIII. Tertium, ebriositas & temulentia. Hæc enim dominante, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, iudicia subvertuntur. Nihil igitur boni apud

apud agros efficere potest Medicus, qui vino semper madet. Invisus etiam & molestus est illis, cum remulentus eos accedit. Non enim ciborum interdum odorem ferre possunt, multoque minus vinosum ebrj Medici halitum. Temperantia contra illum vehementer commendat. Est quippe secundum Aristotelis placitum prudentia custos. Quo nomine etiam à Grecis σωφροσύνη dicta, quasi σωζῶσα τὴν φρόνησιν, quod prudentiam sartam tectam conservet.

LIX. Quartum, impietas & atheismus. Deo namque tales Medici sunt abominabiles, agris etiam execrabiles, nullumque felicem successum in cura morborum sperare possunt. Pietas contra apud Deum & homines Medicum commendat: estque ad omnia utilis: & propterea ab ethnico Cicerone caput omnium virtutum cognominata fuit: ab Hipp. etiam lib. de decenti ornatu Medico fideliter injuncta.

LX. Quintum, austeritas & morositas. Hac enim felici morborum cura propterea est obstaculo, quia ager austerum & morosum Medicum odio habet, nulla ei in illo posita est fiducia, neque prescriptis illius & mandatis morem gerit. Exemplum austeri & morosi Medici Galenus comm. 4. in l. 6. epid. §. 9. profert in Callianacta, qui cum ager dixisset se moriturum esse, duriter ipsi hoc Homeri versiculo respondit, mortuus est & Patroclus, qui te prestantior ipso. Humanitas contra & Φιλανθρωπία Medicum reddit gratiosum & amabilem, facitque, ut ager facilem se prebeat, & imperata libenter exequatur. Est enim humanitas juxta Platonis dogma amicitie hominum conciliatrix: austeritas verò expultrix, hominesque contristat. Hippocrates libr. de decenti ornatu addit, quod τὸ ἀυσηρόν sit δυσπρόσιτον, austeritas difficilem prebeat accessum sanis & agrotantibus.

LXI. Sextum, negligentia, oscitantia, rarior visitatio, aut omnimoda emanatio, ægrique turpis desertio. Vult namque artus Dictator Hippocrates libr. de decenti ornatu, ut Medicus agrum invisat frequenter, quò commissa ab eo, aut à ministris errata corrigere queat. Et Janus Damascenus aph. 149. statuit, Medicum ne quidem ob morbi diuturnitatem, facile discedere debere. Hæc enim emanatio, aut rarior visitatio, facit, ut occasio agendorum, qua juxta Hippocratis aphor. 1. sect. 1. est præceptus, angustissima scilicet, sicut Galen. in comment. explicat, brevissimisque temporis, a volet: idque ob continuum & indesinentem corporis humani fluorem: quod sanè temerè in periculum præcipitandum non est: quoniam, ut piè Janus Damascenus aphorif. 10. loquitur, quibus medemur, non sunt neque lapides, neque ligna, neque lutum, neque corium, sed sublimioris pariter & pretiosioris substantiæ opificium DEI, in quo lapsus quidem est proclivis, sed admodum periculosus, & in plerisque delicatioribus ac tenerioribus naturis sæpè ad interitum terminatur. Quod ipsum quoque Galenus in comment. aphor. Hippocr. 1. sect. 1. scriptum reliquit.

LXII. Septimum, garrulitas, qua agrum non curat, sed novum illi morbum infert: juxta illud πολυθρήλατον, ἰατρὸς ἀδόλεσχον νοσῶντι πάλιν νόσον. Hippocrates contra βραχυλογίαν Medico commendat l. de decenti ornatu. Sunt quoque garruli, linguaces & dicaces Medici agris valdè molesti, præsertim cum ludicra, puerilia, stolidà & inepta, ficta etiam & ignominiosa effutiunt, nec finem garriendi faciunt, donec jussi fuerint digito compescere labellum.

LXIII. Caterùm, quemadmodum longorum & inconsideratorum sermonum deblateratio agro molesta est:
 val.

valdè, illumque contristat, ita εὐπροσήγοια, affabilitas illi grata est atque amica: tum maxime, cum suaviter & comiter illum alloquitur, benè sperare jubet, & consolatur, etiamsi, ut Janus Damascenus aphor. 46. sentit, Medicus ipse propemodùm desperet. Hac enim amica allocutione agrum mirificè exhilarat, & prostratum quasi erigit.

LXIV. Octavum, taciturnitas, ac si Medico lingua esset ligata, cum tamen plurimum ad felicem morborum θεραπεύειαν faciat morborum, causarum morbificarum, & partium affectarum exploratio. Est enim Jani Damasceni aphor. 49. elegans præceptum practicum, quòd Medicus solerter agrotantem de causis & occasionibus sui morbi, internis pariter atque externis, interrogare debeat. Aegri enim, inquit Hippocrates lib. de arte, obscuro sibi que incognito morbo laborantes, si Medico de illo narrare aliquid conentur, δοξάζοντες μᾶλλον, ἢ εἰδότες ἀπαγγέλλουσι, ex opinione magis, quàm scientia narrant. Medicus autem benè informatus, & de dictis indicantibus certior factus, feliciter ac laudabiliter curationem instituere potest. Empiricè autem agrum tractat eorum ignarus.

LXV. Nonum, rigor & severitas, quando Medicus agro vehementer instanti nulla in re, ne quidem in illa, que parum ledere potest, gratificatur. Hoc enim Hippocrates aphor. 38. sect. 2. dissuadet, & præcipit, ut aliquando cibum ac potum paulò deteriorem, sed suaviorem, meliori quidem, sed ingrato, præferamus. Rationes Galenus addit duas. Unam, comm. 4. in libr. Hippocr. 6. epid. §. 8. quia Medicus hoc gratificandi studio agros magis sibi obsequentes reddit. Alteram, in comm. aphorismi allegati, quoniam, si agrotantibus grata

atque accepta quandoque concedantur, ea ventriculus cum voluptate amplexatur, faciliusque concoquit: refugit autem, quæ sibi displicent. Unde ijs assumptis, vel nausea, vel flatus, vel fluctuationes consequuntur. Eundem Medici rigorem idem Galenus allegato loco hisce verbis improbat. Concedenda, inquit, nonnunquam ea sunt ægris, quæ vehementer appetunt. Nam si talia ijs denegetur, Medicum odio habent, nullaque illius mandata exequuntur. Concedenda a, esse illa, quæ non magnum allatura sunt detrimentum, & prædicendum, ægrum ab illis læsum quidẽ iri, concedi autem gratificandi solùm studio: peti verò, ut in reliquis etiam morem gerat. Aegrum enim obedientem parvam noxam posthac emendare posse: magnam autem cum periculo esse conjunctam, nec corrigere illam facile posse, sed morbum aut graviolem redditurum, aut in longum tempus producturum esse.

LXVI. Ex dictis perspicuum est, quæ causæ sint ex parte morbi, ægri, & Medici, quòd morborum curatio vel impossibilis sit, vel non quidem impossibilis, atamen curatu difficilis, vel facilis, vel tarda & diuturna. Sequuntur nunc causæ alia, utpote Pharmacopœus, ejusque famuli & discipuli, Cheirurgi, Barbitonfores & Coqui, qui si officia sua faciant, curationem à Medico institutam plurimum juvare, sin negligant, eam haud mediocriter impedire, vel saltem tardare possunt.

Causæ ex parte Pharmacopœi.

LXVII. Pharmacopœum quod attinet, multa vitia, siquidem, (quod præsupponimus) in illo fuerint deprehensa, Medici curam impediunt. Et primùm quidem imperitia artis pharmaceuticæ, quam nunquam, ut par est, & convenit, didicit. Imperitus enim, nec artem probè edoctus Pharmacopœus, remedia à Medico ordinata, sive liquida, sive solida fuerint consistentiæ, perpe-

ram conficit: eò quòd usus & exercitatio artificem faciat, præsertim si quis peritum priùs habuerit Magistrum.

LXVIII. Deinde, ignorantia simplicium, à plantis, animalibus, & fossilibus ac mineralibus desumptorum corporibus. *Hæc namque causa est, ut quid pro quo eligatur, quod forsàn Medici scopo & intentioni repugnat.*

LXIX. Tertiò, imperitia idiomatis latini, *cujus tamen cognitio Pharmacopæo maximè necessaria est, ut formulas remediorum à Medico præscriptas probè intelligat. Noscat etiàm illas, quæ vel prorsùs sunt novæ, & in dispensatorijs usitatis non inveniuntur: vel antiquæ quidem sunt, sed diu admodum intermissæ, ab orco autem quasi ad usum revocatæ.*

LXX. Quartò, fordida avaritia, & habendi cupiditas, *qua motus materiam ad compositorum medicaminum confectiõnem adhibet, quæ quidem crumenam illius ditat, egri autem sanitati plurimùm obstat. Talis materia est, quæ effæta, vieta, viribus naturalibus, pristinoque vigore est privata. Putris etiàm, vel mangonio, hoc est, fucò polita, compta atque ornata.*

LXXI. Quintò, negligentia in colligendis, mundificandis, siccandis, reponendis & asservandis stirpibus, earumque partibus, utpote radicibus, corticibus, lignis, resinis, & gummi generibus, seminibus item, fructibus & frugibus. *Nisi enim in hisce actionibus summam adhibeat diligentiam, simplicia, vegetabilia cum primis, situm, putredinem, cariem, vermes, aut vitia alia contrahere solent. Unde fit, ut compositiones ex illis conflatæ plus damni, quàm emolumentum adferant: & quemadmodum pharmaca aliàs etiàm artificiosè à Pharmacopæo parata, & à docto peritoque Medico magno cum judicio præscri-*

pta,

pta, χείρες τῶν Θεῶν, auxiliatrices Deorum manus ab Herophilo fuerunt iudicata, ita ex vitiosa materia à Pharmacopæo auri cupido concinnata, παραμυαίαι, manus cæde contaminata non immeritò dici possunt.

LXXH. Sextò, pigritia, socordia, & ignavia, quando chymica medicamenta pseudochymicis præparanda relinquit, Galenicæ verò compositiones, aut longas illas, & celebres opiatas confectiões insulsis & imperitis ministris commendat.

LXXIII. Septimò, audacia, philautia & philotimia, cum nimium sibi sisus, sui que amans, & magni se faciens, eruditorum & in artis operibus exercitatorum Medicorum formulas mutat, doses minuit, vel auget, us aliquid demit, admiscetque ea, quæ Medici scopo adversantur.

LXXIV. Octavò, tarditas, quando moras necesse, tum præcipue, cum necessitas urget, & quod manè paratum esse debebat, ne vesperi quidem haberi potest. Tunc enim aeger negligitur, quia occasio præterit: & dolore afficitur, quòd magno cum desiderio medicinam sibi assignatam expectare cogatur.

LXXV. Nonò, commessatio, compotatio, assiduitas & frequentia in tabula lusoria & alcatoria, quæ Pharmacopæo, utpote coquo, & altera manu Medici, est indigna. Facit etiam, ut quæ in officina Pharmaceutica expedienda, famulitio committantur. Hoc autem si peccet in operatione, & agris noxa inferatur, culpa postmodum in Medicum transfertur: qui fama atque estimationis suæ jacturam patitur: ac si convenientia remedia non adhibuisset: aut morbum ejusque causam & locum affectum minimè cognitum atque perspectum habuisset.

LXXVI. Decimò, conniventia & indulgentia, cum ministris conceditur, ut pro libitu & arbitrato cuius sine discrimine, etiam rudi plebecula, venena, philtura, menses moventia, fœtum necantia, abortum provocantia, soporifera & opiata divendant: vel quando quod unus conficere debet pharmacum, duo, & quidem diversis horis, conficiunt. Fieri enim potest, ut vel simplex ali- quod omittatur, vel bis accipiatur, quod tamen à priore jam fuit adhibitum.

LXXVII. Octavo, situs officinæ in loco obscuro, humido, sordido, fœtido, ac ventis, pluvijs, pulveribus & fumis obvio. Ejusmodi enim officinæ situs medicamenta, quæ preparantur, inquinant: quæ postea cum tadio ac fastidio ab agris assumuntur, ijs cumprimis, qui aliàs ab eorum usu abhorrent. Inquinantur autem magis & citius, cum simplicia aëri sunt exposita, non in convenientibus vitris, pyxidibus, sacculis, capsulis, ladulis, vasis, ac thecis alijs sunt reposita atque condita.

LXXVIII. Nonò, Pharmacopœorum ministrorum ignavia, negligentia, imperitia, ebriositas, inobedientia, infidelitas & levitas, quæ illorum vitia in vitam decumbentium, non sine conscientia gravi vulneratione, redundare solent.

Causæ ex parte servorum & discipulorum Pharmacopœi.

LXXIX. Atque hæ sunt causæ, cur ex parte Pharmacopœorum, & eorum servorum curatio morborum suscepta non feliciter succedat.

LXXX. Sequuntur Cheirurgi, Lithotomi, & Barbitonfores, in quibus eadem vitia: quæ θ. 78. enumerata, eidem obsistunt. Quare, non nimis sibi fidant, sed in casibus periculosis in consilium adhibeant Medicos: intra limites suæ professionis se contineant: non mittant falcem in alienam messem, cujus sementem non fecerunt:

Causæ ex parte Cheirurgorum & barbitonforum.

Medicorum præscripta non mutant: nihil ijs addant: nihil detrahant: doses minimè augeant, neque minuant: à noxijs, & vehementer purgantibus medicinis abstineant: adsint vulneratis non interdiu solum, sed etiam, si postulatum fuerit, nocturno tempore.

Causæ ex
parte Co-
quorum.

LXXXI. Coqui non studeant palato, sed sanitati: Nihil enim Medici curam magis impedit, quàm coquus, qui contra præscriptum Medici palato decumbentis blanditur & adulatur, assando, elixando, frigendo, condiendo, aliterve esculenta præparando. Verissimum enim est, quod Janus Damascenus aphor. ultimo memoria prædidit, dieteticam medicinam præstantiorem esse pharmaceuticam & cheirurgicam. Et, ut idem aphor. iis. monet, si sola dieta citra pharmaca mederi liceret, nihil prius, neque rectius esse. Quare cum legitima dieta tanti ponderis sit atque momenti ad felicem peragendam morborum curationem, meritò boni & fideles Coqui in id incumbere debent, ut agrotantibus ejusmodi fercula offerant, quæ ex re illorum sunt, quæque peritus atque doctus Medicus illum præparare jussit: non suis cupedys, scitamentis, & sganatis ciborum delicijs palato agrorum blandiantur. Hoc enim si faciant, præsentem morbum fovent atque augent: aut novos inducunt, forsitan prioribus pejores curaque difficiliore. Avidè enim à nonnullis appetuntur, & in copia ingeruntur: ex quo postea ventriculus gravatur, & cruditates gignuntur, quæ morborum sunt genitrices fecundissima.

COROLLARIA.

I.

AN omnis morbus immedicabilis sit lethalis? Immedicabilis morbus dicitur dupliciter: vel per se, qui nulla ope humana tolli potest: vel per accidens, qui

qui non per se, & naturâ sua immedicabilis est, sed per accidens solùm: idque eas ob causas, quæ in thesibus fuerunt explicatæ. *Existimamus autem*, non omnes immedicabiles morbos esse lethales. Exemplo sunt pleraque vitia nativa, quæ ab ortu homini acciderunt, de quibus *θ. 21.* dictum. At sunt tamen etiam immedicabiles, qui lethales: de quibus *θ. 22.* actum. Dantur ergò morbi immedicabiles, quorum alij lethales sunt, alij non. Omnis autem lethalis morbus etiam immedicabilis est. Nam si curari posset, lethalis minimè diceretur.

II.

Cùm Natura ab Hippocrate l. 6. epid. sect. 5. morborum curatrix dicatur, queritur, an per similia, an per contraria, an per nihilum eos curet? Postremum statui nequit: quoniam per nihilum nihil fit. Est enim non ens; quomodo ergo quod tale est, & non existit, aliquid efficere potest? Primum itidem affirmari non potest. Nam quod morbum curat, illum expellit. Quod expellit, ei vim infert. Quod vim infert, simile non est, sed contrarium. Simile enim simile sibi conservat, non fugat, non destruit. Sequitur ergò, Naturam curare per contraria. Potest hoc declarari multis exemplis, quæ apud *Hippocratem in aphorismis* extant. Natura namque morbos curat. *I. Per evacuationes criticas & per abscessus. II. Per calorem, noxias abforbentem materias. III. Per somnum, instaurando vires, & concentrando calorem, qui & ipse vim digerendi & discutiendi habet. IV. Per inedia, quando nihil ciborum appetit. Tunc enim calor sui juris est, & cùm nihil cibi habeat, in quem agat, agit in noxias crudasque materias, quas partim consu-*

mit, partim concoquit, & ad meliorem statum reducit. *V. Vulnera glutinat. VI. Ossa fracta ferruminat. VII. In ulceribus pus generat. VIII. Tumorum materiam per caloris nativi virtutem vel degerit & dissipat, quatenus illam attenuat, & in halitus vertit, qui postea exhalant: vel in pus mutat. Atqui evacuare morbificas causas κριτικῶς: avertere illas à locis laborantibus, & transferre eas ad partes alias: consumere, discutere, ac dissipare illas insensibiliter per calorem nativum, aut mutare in substantiam purulentam, caloris ope & ministerio, & sensibiliter postea evacuare: fracta ossa & eorum continui solutionem unire & ferruminare: vulnera glutinare per sanguinem partim, qui nutritionis gratia est attractus, & in poros labiorum vulneris effusus, partim per carnis, in quam sanguis ille est effusus, facultatem σαρχοποιητικὴν: ulcera item cava carne implere, & quæ disjuncta sunt in illis conjungere & unire, non est per similia, sed omninò per contraria curare. Evacuare enim quæ sunt superflua & redundant, sive sensibiliter, sive insensibiliter id fiat: conjungere quæ sunt disjuncta: avertere causas morbificas à locis affectis, easque amandare ad loca alia, quæ ignobiliora sunt, non est agere per similia, sed omninò per contraria.*

Exempla criticarum vacationum extant apud Hippocratem aph. 36. s. 4. aph. 60. s. 4. aph. 74. s. 4. aph. 32. s. 5. aph. 33. s. 5. aph. 10. s. 6. aph. 11. s. 6. aph. 14. s. 6. aph. 5. s. 6. aph. 17. s. 6. aph. 21. s. 6. aph. 34. s. 6. aph. 48. s. 6. aph. 5. s. 7.

Exempla decubitus materiei morbificæ in partes alias videantur aphor. 44. sect. 4. aphor. 64. sect. 4. aph. 34. sect. 6. aphor. 37. sect. 6. aphor. 49. sect. 7.

Exempla consumptionis ejusdem materiei morbificæ
per

per calorem vel nativum, vel febrilem, leguntur aph.
1. & 2. sect. 2. aph. 26. f. 2. aph. 57. f. 4. aph. 22. f. 5. aph. 70.
sect. 5. aphor. 40. f. 6. aphor. 52. sect. 7.

III.

An immedicabiles morbi à Medico suscipiendi sint?

Pro negativa adferri possent authoritates artis proce-
rum, experientia, & ratio. *Hippocrates* libro *περὶ τέχνης*
dicit, curationem eorum, qui à morbis sunt victi,
suscipiendam non esse, quoniam in confesso est, ta-
les sanari non posse. Et in *principio prognost.* ait, im-
possibile esse, omnes ægros pristinae restituere sa-
nitati. *Galenus comm. 2. aphor. 29.* scribit, deploratos &
desperatos attingendos non esse, sed deserendos, &
morbi solùm finem prædicendum. Et *libro II. meth.*
med. c. 9. inquit, in quo desperata omninò salus est,
imprudens esse consilij, apud vulgum infamare præ-
sidia, quæ multis fuerunt salutis. *Trallianus lib. 12. c. 5.*
docet, desperatis maloq; victis manus admovendas
non esse. *Cornelius Celsus l. 5. c. 26.* suffragatur, monens,
prudens hominis esse, illum, qui servari non potest,
attingere, nec subire speciem ejus, ut occisi, quem
fors ipsius peremit. *Mesue ejusdem est sententia.* Cave,
ait, ne malarum ægritudinum curam suscipias, ne
mali Medici nomen consequaris. *Authoritati consen-
tit experientia*, quæ satis superque testatur, esse mor-
bos, qui sanari nequeant. Ideoq; satius esse videtur,
abstinere ab eorum curatione, ne Medicus frustra la-
boret, & ludibrio adstantium se exponat, & ne an-
sam præbeat, ut ægri inanes & frustraneos facere sum-
ptus cogantur.

Ratio denique quæ dicta sunt, confirmat. Ubi enim
privatio habitus est totalis, ita ut & actus & potestas

collatur, ibi ad illum naturali modo regressus minime datur. At in ejusmodi morbis, qui pro deploratis & incurabilibus ab omnibus hominibus habentur, talis est privatio. Ergo nulla etiam eorum est curatio: proinde nulla quoque debet esse susceptio.

Verum, sunt nonnulli authores, qui contrarium statuunt. Etenim Aëtius tetrab. 4. serm. 1. c. 120. asseverat, humanum & plenum benevolentiae esse signum, etiam in extremis malis usque ad experimentum procedere, ad difficultatem affectionis compescendam. Soranus arbitratur, haud humanum esse, etiam in extrema desperatione languentes prorsus deserere: quia multi praeter omnem spem convalescunt, Galen. l. 10. meth. med. c. 10. existimat, melius esse, aegros juvare cum periculo, quam nullo prorsus remedio adjutos sinere emori. Quod ipsum etiam Cornelius Celsus l. 2. c. 10. affirmat: & fatius esse putat, anceps experiri remedium, quam nullum, ubi res ad desperationem declinat. Dubiam quippe spem certa desperatione potiore esse censet. Ianus Damascenus aph. 46. praecipit, ut Medicus aegrum semper consoletur, licet mortis appareant signa, & ipse etiam desperet: neque vel deploratis animum devovendi occasionem unquam permittat.

Nos repugnantes hasce sententias conciliari posse credimus, si morbos distinguamus. Alii enim ὄντως, & revera incurabiles sunt, quales sunt, qui θ. 21. & 22. enumerati. Alii tales sunt φαινομένως, vel ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ: cujus generis sunt, qui recensiti θ. 23. De prioribus locuti sunt Hippocrates, Galenus, Trallianus, Mesue, & Celsus. De posterioribus idē Galenus, Aëtius, Soranus, & Celsus. Vbi tamen notanda etiam remediorum, quae adhibentur, distin-

distinctio: quorum alia ad ipsum affectum, causam illius, & partem laborantem sunt directa: alia verò palliativa solum sunt, eò spectantia, ut symptomata mitigentur: & aut vires dejectæ roborentur: aut atroces dolores leniantur: aut immodicæ vacuationes compescantur: aut alvus constipata laxior reddatur: aut prostrata ciborum appetentia excitetur, &c. Primæ classis remedia frustra usurpantur in morbis *cruciatos*, incurabilibus. Secundæ verò locum habent, ut ægris Medici gratificentur, ne planè desertos se esse quiritari, & mœsta voce lamentari eogantur.

IV.

An verum illud Iani Damasceni aphorismo 143. corpora humida parum comedunt: multum egerunt: & difficulter curantur? Rationabiliter Damascenus loqui videtur. Intelligimus autem per humida corpora illa, quæ sunt phlegmatica. Hac enim parum comedunt, quia debilem calorem habent, qui non multum de corporis substantia consumit: quo fit, ut etiam non multum cibi appetant. Appetitus enim ob defectum alimenti excitatur. Huc accedit, quòd talia corpora ob caloris infirmitatem cruditates pariant, quæ appetitum minuunt. Multum autem egerunt, scil. per varia corporis emissaria, utpote per nares, os, alium, ductus urinæ &c. ob crudas superfluitates, ab imbecillitate caloris procreatas. Morbis denique correpta, difficulter curantur, sequentibus de causis. I. quia sunt debiliora, & morbificis causis non valdè resistunt. II. quia superfluitatibus abundant, quæ non facile & expeditè evacuantur, cum novæ semper succrescant. Sicca corpora phlegmaticis contraria sunt. Salubrius quoque degunt, teste Hippocrate aphor. 2. s. 6.

Longiore etiam vita fruuntur, quàm humida: *aphorism. 44. sect. 2.* Siccum enim sano propius est, humidum non sano, authore eodem *Hippocrate in principio libr. de ulceribus.*



Ornatissimo Dn. Respondenti

ευδαμονέστατα διάγιν.

MORBORUM in cura tria dat præcepta *Galenus,*

Ut citò, jucundè, tutòque exerceat illam,
Qui Medica dici vult Doctor in arte peritus.

Quò verò tutò cures, intentus oportet
Sis tribus hisce scopis, ut nempè acquirere possis
Suscepti in cura finem cum laude laboris:
Hunc verò si non possis attingere, saltem
Non lædas ægrum: & caveas, ne fortè recurrat
Morbus, quem penitùs priùs extirpare studebas.

Idcirco ad Praxin cum tu perveneris; ECKOLT,
Gnaviter observa terna hæc præcepta *Galenii.*

Sed quoniam morbi nequeunt curarier omnes
Hisce modis, cum sint nonnulli, qui neque tutò
Non etiam possunt jucundè, nec citò tolli,
Propterea id Medico faciendum, quod licet, & quod
Possibile est. Nam si solerter præstitit istud,
Munere jure suo defunctus creditur esse,

Quod si servâris data jam præcepta *Galenii,*
Tractabis sanè Medicam feliciter artem:
Et bona multa tibi, nomenque perenne parabis.

Melchior Sebizius, D.

F I N I S.

Libr. 14.
meth. med
cap. 13.